

Q. B. V.

ΣΥΜΜΙΚΤΑ  
ΦΙΛΟΣΟΦΙΚΑ

DE

DEFINITIONE  
CAUSAE

POTISSIMUM IN COMMUNI

QVAE

PRAESIDE

THEODORO HORNIO,

RATIONAL, AC PRIMAE PHILOSOPH.  
PROFESS.



D. XXII. DECEMBR. AN. MDCCVI.

H. L. Q. S.

DEFENDIT

CHRISTIANUS NICOLAUS MARCI,

SUNDA-POMERAN. PHILOSOPH. AC THEOLOG.  
STUDIOS.

---

GRYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
Reg. Acad. Typogr.

Philos. 3.

B.

205, 26

Phil. 9

Q. B. V.

ZIMMERTA  
ΦΙΛΟΣΟΦΙΚΑ

DEFFINITIONE  
CAUSAE

POTISSIMUM IN COMMUNE  
OVALI  
P. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

THEODORUS HORNIUS  
LATIONALE PRIMA PHILOSOPHIA  
PROFESSOR

CHRISTIANUS NICOLAUS MARCI  
PHILOSOPHIAE THEORICA ET PRACTICA  
STUDIOSISSIMUS

CHRISTIANUS MARCI  
PHILOSOPHIAE THEORICA ET PRACTICA  
STUDIOSISSIMUS

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



I. N. D. N. I. C.

§. I.



Non parum habet in se fructus commoditas, tanquam agros suis terminis definiendi & claudendi, aliosque ab aliis secernendi, sic definitionibus, quibus propria rerum quarumque vis explicatur, essentias earumdem circumscribendi, aliasque ab aliis distinguendi: si recta intelligentia gubernetur, & vel maxime videatur, ne in immensum infinitumque finiendo prodeatur.

§. II.

Qua imprudentia, dicam, an ignorantia, veteres nonnullos insignitius prolapsos scimus: qui, ne parum multa & hinc sapere viderentur, quid quaeque res sit, exquirere se, ac oratione declarare valere praesumpserunt. De aetatis suae Sophistis id sigillatim GALENUS (\*) nos docet, φιλοσοφίαν nimiam, & ἀπαιδείαν eam ob rem iis impropere: quos scilicet tanta definiendi libido ceperat, ut ne olus quidem, citra definitionem,

ventur empturi. Et alias (b) scribit: τὸ ὀρίζεσθαι πάντως ἐθέλειν ἅπαν πρᾶγμα σοφιστικῆς διδασκαλίας ἐργόνεσθαι. *Destinare plane quidque velle, ad sophisticam pertinet disciplinam.*

(a) Lib. II. de diff. puls. Cap. III. (b) Lib. IV. Cap. XVII. *oper. cit.*

§. III.

Haud excusatius forte peccarunt Philosophi Scholastici, quos vocamus, & qui ratis eorum destinatisque sententiis addictiores paulo & fuerunt, & sunt. Quos proinde multum rident vexantque alii, nominatim D. CHRISTIAN. DREIERUS (c), Stagiritae auctoritate adversus eosdem pugnans; uti non omnium demonstrationem, ita nec omnium definitionem dari: liquido sciscente ARISTOTELE (d): *manifestum esse, quod dicere volumus per inductionem in singularibus, & εἰ δὲ παντὸς ὄρον ζητεῖν ἀλλὰ τὸ ἀνάλογον συνορεῖν, non oportere omnium definitionem quaerere, sed etiam quod analogum & proportionale est, conspiciere.*

(c) Disp. VI. in prim. Philosoph. (d) Lib. IIX. Metaphysic. Cap. VI. Conf. Lib. I. Physic. Cap. VII. Text 69.

§. IV.

Nec minus eundem morbum exagitant e novissimis Auctoribus, JOH. LOCKIUS, (e) & qui non raro hujus ingenio utitur, JO. CLERICUS (f), quique loco non ultimo nominari debebant, ARNOLD. GEULINCX (g) ac THOM. GOVEANUS (h). Nimirum quae ceteroquin satis clara ac simplicissima sunt, adeoque pluribus conceptibus explicari nequeunt, a definitionibus volunt exempta: quandoquidem, definitionibus talia obscurarentur potius, quam declararentur:

tur:

tur; cum Mens per definitiones rerum istiusmodi ab idea satis facili, quam sine monitore jam tenet, divertatur saepius aut in ea contemplanda turbetur. Nec si definitionis terminos novis definitionibus explicare contenderes, semper posses; cum procedere in infinitum non liceat, tandemque deveniendum sit ad terminos per se notos. Ita *res, aliquid, existere, cogitare, velle, affirmare, negare, supponere, copulare, disjungere, amare, odisse, timere*, aliaeque mentis operationes plurimae definitionem nullam desiderant: & sensibus aliquid exposuisse, tantundem est, ac si definires. Ita quid *lux*, quid *color* sit, rectius *videndo*; quid *dulce, amarum, acidum*, rectius *gustando*; quid *suave, foetidum*, rectius *odorando*, & sic in aliis *sensibus* explorando, cognoscendoque, quam *definiendo* cognosces.

(e) *De Intellectu Hum.* Lib. III. Cap. IV. pag. 186. seqv.

(f) Part. I. *Log.* Cap. II. pag. 19. & Part. II. Cap. XII.

pag. 139. (g) *Log. Restit.* Part. IV. Cap. VI. p. 410. seqv.

(b) *Log. Elencht.* p. 399.

§. V.

An vero per hanc ipsam, quam commodum attuli, *claritatis* rationem, *Causae* quoque vocabulum in universum spectatum, finiendorum familia submoveri debeat, quo & JOH. BAPTIST DU HAMEL (i) inclinare video, non abnuente adeo JO. CLERICO (k), jam non disputo: ut ut forte expeditius hoc sit, quam ob alias rationes, quas Alii promunt. Ne coeco agere videar testimonio, hoc ut manifestum sit, id mihi paulisper danda est opera.

(i) *Metaphys.* Tract. II. Disp. 1. Quæst. 1. m. pag. 97. (k) *Ontolog.* Cap. IX. p. 371.

§. VI

Scilicet D. PAULUS RABE, in cuius ingenio & industria plurimum Aristotelicae disciplinae & svavitatis, & dignitatis videtur hodie constitutum, hac de re ita & sentit, & censet (1). Sunt quidem, qui in genere causam definire volunt; at hi ἀπαιδευσίαν arguunt suam, dum non considerant πολλαχῶς λεγόμενον aliquod esse causam; talia autem una generali & univoca definitione explicari non posse, sed distinguenda, & in significata sua distribuenda statim esse, unde & in hoc ipso nos praecipit Aristoteles, quem secuti nos illico quatuor genera causarum singulatim declaravimus.

(1) Part. I. Physic. Cap. III. §. 3. pag. 794. Curs. Philos. Au. MDCCIII. ed.

§. VII.

Reddere hæc potuit Vir Clarissimus, a CHRIST. DREIERO, superius paulo mihi laudato forte monitus. Is in Tractatu, de DEO peccati causa per accidens, quem magna satis specie, solidam vindicationem sanctitatis DEI vocat, paria vel explicatiora etiam præcipit (m). Causa, dicit in margine, in generali notione non potest definiri. Rationes adducit in sequentibus. Sciendum autem est, quod Philosophus causam in generali notione non definiat, quia est ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. Toto enim Libro V. Metaphys. ea, quæ dicuntur multipliciter, distinguit, quem Librum Lib. VII. Metaphys. cap. 1. vocat περὶ τῶν πολλαχῶς. Et inter hæc vocabula distinguit & causam. Imo Lib. II. Physic. cap. III. disertè ait: dicuntur causæ πολλαχῶς. Lib. III. Physic. Text. IV. recensens categorias, dicit, nihil iis accipi posse commune, quod nihil commune habeant. Ergo non datur supra decem summa genera genus aliquod, vel conceptus communis: causa autem  
inter

inter illa vocabula est, quae transcendunt praedicamenta. Et reliqua. Quibus germana jam ante prodiderant ALEXAND. APHRODISIENSIS (n), & BENED-  
PERERIUS (o).

(m) pag. 32. (n) de *Fato*, Cap. III. (o) IIX. *Physic.* Cap. I.

§. IIX.

Quorum igitur, & vel maxime DREIERI, sententia est: *Causam* in universum definiri non posse. *Primum*, quod ARISTOTELES nullibi eam in generali notione definierit; *Deinde*, quod sit ἐκ τῶν πολλὰ-  
χῶς λεγομένων: *Tertio*, quod pervulgatos istos praedi-  
camentorum loculos excedat longe atque superet.

§. IX.

Quod ad *illud* pertinet: nulla necessaria consecutione conficitur: *Aristoteles* nullibi *Causam* in generali notione definivit. Ergo *Causa* in generali notione non potest defini-  
niri. Nam simili ratione argumentari liceret: Nec *Substantiam* in universum, imo nec *Logicam* definiri posse, quando Aristoteles nusquam harum definitionem tradidit. Tametsi enim largiamur ejusmodi de *Causa* orationem nusquam consignatissime factam a Philosopho: tamen dari non potest, nihil edocenter, ut GELLII verbo utar, neque ad instituendam eam ab eodem esse jactum, atque scriptum, adeoque ex mente & sententia Aristotelis erui ac formari ullo modo posse. Id quod explicatius exsequutus est B. JAC. MARTINI, in eo eo libro, quem de causa peccati luculente texuit (p). Ut in mentem veniat mirari, qui factum, ut efficacem id fugere scientiam potuerit eorum, qui non primam tantum cutem, ac sententiarum

rum

rum speciem, sed sanguinem quoque ipsum ac medullam verborum Philosophi eruere se ac introspicere nimium quantum, prædicant. Aliter cur apud Aristotelem nulla reperiatur Causae definitio, hanc rationem reddit FRANC. DE OVIEDO (q) *ut palma in medio sit posita, & omnibus datum proprio Marte rationem communem causae definire.* Attamen addit: *hoc ipso nihil exitiatius esse, cum nulla lex esse possit, ubi Legislatores sunt omnes, neque communem aliquam auscultent latam a Principe, cui auscultent omnes.* Quod vero non placet item aliis ex Aristotelis disciplina pariter vocabulum habentibus Philosophis (r).

(p) Disp. III. §. III. seqq. (q) Phys. Controv. VII. Punct. 1. Num. 1.

(r) Conf. D. JOH. BARTHOLD. NIEMEIERUS, *Instituti. Metaphys. Disp. V. §. XXI. pag. 20.*

§. X.

Nec in summam rei proficitur isto: *Causa πολλαχῶς*, hoc est, *multipliciter dicitur.* Ergo *Causa non potest defini.* Namque concedimus, Causam *πολλαχῶς* dictam, vel acceptam, ante aequivocationis, five multiplicitis significationis evolutionem, non posse defini; quandoquidem, ut vel in Cirratorum dictatis ac præceptionibus est, aequivoca & ambigua, dum ejusmodi sunt, nullam operationem Logicam, adeoque nec definitionem admittunt. Negamus autem ex eo consequi, Causam neque post multiplicitis significationis evolutionem, & revocationem ad certam distinctamque significationem, ullo modo posse defini in generali notione, prout præscindit, ceu loquuntur, ab *Efficiente, Materia, Forma & Fine.*

§. XI.



§. XI.

Sed & hoc parum efficere videtur: *Causa est inter illa vocabula, quae praedicamenta transcendunt. Igitur Causa nullo modo potest definiri. Ex veteri quidem formula quae scalam praedicamentalem transfiliunt, per Genus & Differentiam Logicam stricte ac rigide dictam definiri non possunt. At improbe nimis inde cogeretut, neque per conceptum, ut loquuntur, indifferentem & contrabentem, vel determinabilem & determinantem, vel latiore & strictiorem aliquo modo definiri posse: quando omnino inter Genus & Differentiam Logicam presse sic dictam; & inter Conceptum latiore, & strictiorem &c. adeoque inter definitionem perfectam, & qualemcumque interesse voluerunt, illud unice rebus directe in Elementis istis decem locatis, hoc etiam extra illa positis tribuentes.*

§. XII.

Unde, quantumvis facile nanciscaris, qui non satis ratum illud temperamentum atque legitimum arbitrentur, contendentes per ipsorum quoque, qui tam arcte hoc tenent accurateque defendunt, constitutum, non solas species, sed & individua, & singularia, & genera, tam quae sunt supra praedicamenta, quam quae in in iis existunt, perfecte, aut si malint, accurate & exquisite posse definiri (f), in honorem tamen communioris Philosophorum doctrinae, & pro qualicumque Causae in universum definitione, ob rationes, quas domi meae scio, nec hic repraesentandas ac adnumerandas habeo, argumentor: *Quicquid admittit rationem sive conceptum quidditative determinabilem & determinantem,*

B

terminantem,

*terminantem, illud aliquo modo potest definiri. Atque Causa in generali notione admittit rationem sive conceptum quidditative determinabilem, & determinantem. Ergo Causa in generali notione aliquo modo potest definiri.*

(f) Vid. inter non paucos alios, B. CHRISTIANUS DONATI *Log. Natural.* Part. poster. s. Didact. Cap. IV. Aphor. XI. Observ. 7. & seqv. D. GEORG. PAUL. RÖTENBECCIUS, *Log. Vet. & Nov.* Qv. 2266. seqv. CASP. WYSSIUS, *Curs. Philos. L. I. s. Log.* Part. II. Tract. I. Cap. I. Quaest. X. pag. 208. contra ADRIAN. HEEREB. BOORD. praesertim disputans

§. XIII.

*Major patet: Nam definitio in genere nihil aliud est, quam essentiae & quidditatis rei Logico conceptu adprehensae & repraesentatae per rationem determinabilem, & determinantem, Logica explicatio. Minor probatur: Nam potest de Causa in generali notione sumpta adhuc ut latius quidditative praedicari Principium, scilicet in complexe, praecisive & late sumptum, prout in genere notat illud, a quo aliquid est per quamlibet processum, consecutionem aut emanationem: quomodo ad rationem Principii ut sic, sufficit respectus prioris ad posterius, qualiscumque tandem ille sit, sive causalis, sive non causalis, sive dependens, sive non dependens, sive per se, sive per accidens, sive alius quicumque tandem, quod dixi. Hinc vere quidem dicitur: Omnis causa est Principium: sed non vicissim: Omne principium est Causa. Si quidem principia alia sunt Causalia, qualia, exempli causa, sunt ea, quae ad rei vel constitutionem vel productionem concurrunt: alia non-Causalia cujusmodi dicuntur, verbi gratia, Crepusculum matutinum,*

num,

num, vel vespertinum, respectu diei, vel noctis, Exordium respectu Orationis, Litera A, respectu reliquarum; item per eminentiam in divinis Pater respectu Filii, & reliqua. *Principium* ergo praecisive & indifferenter acceptum exhibet *conceptum determinabilem* respectu *Causae*. *Ratio* vero *determinans* & *contrahens* *Causae* in communi est ipsa *Causalitas*, sive *Influxus Causalis*, a quo *Causatum*, sive *Aliud*, vere esse suum habet: vel cujus beneficio principium principato suo esse verum & reale communicat.

§. XIV.

Quare in ambitu isto definitionum certum est, non adeo nobis sordere decantatam illam formulam, non *Conimbricensium* (t), ut vult non nemo, cui fraudi fuit locus *Revii*, mox citandus, male lectus & intellectus; sed a FRANC. SUAREZ (u), pene consecratam, ex Philosopho vero, si EL. GERBENITZIUM & SAM. STRIMESIUM (x) audire velimus, variis in Locis compilatam: *Causa est Principium per se influens esse in alia*: quaeque isto habitu mirifice placet ANTON. RUVIO (y), PETR. HURTADO DE MENDOZA (z), RODER. DE ARRIAGA (aa), CASP. EBELIO (bb), CONR. HORNEIO (cc), CHRIST. DREIERO (dd), DAN. STALIO (ee), PAUL. SLEVOGTO (ff), & ut reliquis nunc parcam, nuper JOH. SPERLETTE (gg). Dummodo absque intercalari τὸν per se fit: quippe quod insertum arctat atque restringit *Causam* ad solam *Causam per se*, exclusa *Causa per accidens*: cum haec non minus, ac ista, sit vera ac proprie dicta *Causa*.

Ut igitur hoc reſecto, & omiſſo, definitio demum adaeqvata ſuo definito evadat: *Cauſa eſt principium influens eſſe in aliud.*

(r) II. *Phyſic.* Cap. VII. Quaest. I. Art. I. (u) *Disp.* XII. *Meta-phyſic.* Sect. II. Num. IV. (x) *Ontolog.* ex *Grebenitzii Meta-phyſ.* ſcripta contraet. & ſecundo edita a Sam. Strimeſio, Francoſ. ad Viadr. MDCXCVII. pag. 89. (y) II. *Phyſic.* *Tract.* I. de cauſis in communi. Num. LIII. (z) *Disp.* VIII. *Phyſic.* (aa) *Disp.* VII. *Meta-phyſic.* Sect. I. (bb) *Colleg.* *Meta-phyſ.* *Disp.* XXIII. Artic. III. pag. 1056. *Oper. Philoſ.* (cc) *Compend.* *Meta-phyſ.* Cap. VII. pag. 114. (dd) loc. cit. p. 68. (ee) *Compend.* *Meta-phyſ.* Cap. X. (ff) *Append.* *Diſp.* *Acad.* *Diſp.* VIII. §. V. (gg) *Meta-phyſ.* Nov. Quaest. II. Sect. II. §. XV.

Eqvidem non inſitiamur, cum cogitamus, concipiendam eſſe hoc loco Cauſam formaliter ſpectatam, in obliqvo, uti loqvuntur, non in recto; qvo pacto videndum erat, ne ex Affectione Entis fiat Accidens quoddam, quod hinc eſſet oppido ineptum, ac ineptius multo, ſi Subſtantia quaedam memoraretur, ut expreſſius reſ dicatur, Cauſam finiri poſſe *Statum Entis*, qvo id influat eſſe in aliud; vel aliter aequè commode. Enimvero ſic ſeculum eſt, & omnis fere mos, ſi modo in Republica libera, cujuſmodi Literaria eſt, mores allegari debent, Philoſophorum, ut de Cauſis aliisqve Affectionibus Entis conjunctis, in recto tantum, ac non in obliqvo, ſeu de ipſa earum formalitate praecipiant, ac videantur de Affectionibus Entis agere, non ut de Entis Affectionibus, ſed veluti de Modis ejusdem contrahentibus. Fidem dictorum ſibi factam fatebitur, quisqvis omni animo rationeque luſtraverit Exempla

pla

pla, Definitiones, Effata denique de quacunqve Affe-  
 ctione Entis conjuncta. Deprehendet enim, ista, quae  
 Affectionum nomine venditantur, omnesqve illas for-  
 malitates, quas notione *Causae, Effecti, Efficientis, Formae,*  
*Signi, Signati, Mensurat, Mensurati, Dependens & Indepen-*  
*tis &c.* exprimunt, non esse veras formalitates Affe-  
 ctionum, sive Affectiones Entis Transcendentales  
 formaliter spectatas, de quibus tamen erat philoso-  
 phandum; quin formaliter vera & realia Entia, aut  
 substantias veras, aut vera accidentia: quae sane non  
 concordant cum generali ipsorummet de Affectioni-  
 bus Entis Transcendentalibus doctrina. Sed quae me-  
 lius non tetigisse foret; nobis autem tanquam ardui  
 magis ac longioris subsellii, indicanda, quando locus  
 ita fert, fuerunt, non consummanda.

§. XVI.

Ceterum quae contra definitionem e Suarezio  
 concinnatam objici solent, tralatitia pleraque sunt, & in-  
 terprete magnam partem, magno isto Svarezii Re-  
 purgatore, JACOBO REVIO *(bb)*, non sine *figuratis mor-*  
*fibus*, ut *σκάμματα* latine vertit Macrobius, in hanc con-  
 cepta sententiam: *Hac Definitio primo impropria est, ut li-*  
*quet. Secundo aversa a Regulis Syntaxeos unde fit, ut nullum*  
*sanum sensum gignat. Neque enim congrue dicitur: influo*  
*esse in aliud, ut nec homo influit aquam in vas, sed infundit,*  
*nec fluvius influit aquam in mare, sed exonerat. Ergo influere*  
*quod absolutum est, hic necessario explicandum per transitivum,*  
*nempe per facere, ut influat, id est, ut diximus, infundere. Jam*  
*vide, quam fabriculosa sit haec Causae definitio: Causa est, quae*  
*infundit esse in aliud. Estne hoc rem definire, an involvere?*

*(bb)* Svarez repurg. pag. 164.

§. XVII.

§. XVII.

Causae quidem nihil dicimus, quin influxus ac influendi notiones e proprio domicilio in alienum migraverint. Ast cum quodlibet vocabulum aliunde translatum vim propriae locutionis e longissimo & frequentissimo usu, quem penes aliter arbitrium etiam solet esse & vis & norma loquendi, consequatur; non video, quam ob rem in Causae definitione velimus damnare, quod non adeo vituperamus in aliis, quae, ut cum illo dicere liceat, *Sirempse lege iussit esse Juppiter*. Pariter fate-mur, minus congrue dici: *Influo esse in aliud*; Nemo enim dicitur influere aquam in vas sed potius infundere. Sed cum *influere*, quod absolutum est, communiter hic explicent per transitivum, nempe per *facere*, *ut influat*, seu per *tribuere*, *dare*, *largiri*, *communicare*, nihil incommodi inde descriptio habet. Possent quoque, praemonstrante PAULO VOETIO (ii) emendari per trajectionem praepositionis *in*, ut scilicet Causa dicatur principium, quod in esse alterius influit; quam igitur ut bonam per partes explicat. Interim si quis scire aveat, quo successu ille istius aetatis in Scholasticis Gigas, quo elogio *Svaregium* ornat ROD. DE ARRIAGA (kk) communem receptamque definitionem propugnaverit, adeat sectionem de communi ratione Causae, quae secunda est in duodecima Disputatione Svareziana. Ipse REVIUS (ll) eam sano sensu admittit, eaque se usurum spondet.

(ii) *Prim. Philosoph. Reformat. Cap. XX. Sect. I. Num. IV. pag. 423.* (kk) *Praefat. Curs. Philosoph. (ll) pag. 166.*

XVII.

§. XVIII.

PETRUS MUSAEUS (*mm*), rejectis propter nimiam latitudinem & obscuritatem, quodque instantiis infringi altera facile possit, *Fonscae* ac *Boetii* definitionibus, merito retinendam existimat hodie in scholis passim receptam definitionem *Svarezi*; quae vero non competat *Causae* morali, tamquam & ipsi verae *Causae*. Quare in aliis JOH. quoque GRAFTIUS (*nn*) *Causam* in genere definit principium, quod, mediante potentia *causandi* indifferenter tali, influit in esse *causati*, aut si non influit, intendit tamen, & aliquid ad ipsum confert; Verbis: si non influit &c. ad *moralem causam* respiciens. Verum quando *Musaeo* fatis occursum censet D. RÖTENBECCIUS (*oo*) a JAC. THOMASIO, ut qui *influxus* nomen ad *latiorem significationem* evexerit, isti *Judicio* plane in praesentia acquiescimus.

(*mm*) *Institut. Metaphys.* Cap. XI. §. XI. pag. 185. seqq.  
 (*nn*) *Metaphys.* Cap. X. pag. 248. *Philos. univ.* (*oo*) l. c.  
 Quaest. 669. Conf. JAC. THOMASII in *Dilucidationibus* *Stalsian.* Disp. VII. pag. 239. VALENT. VELTHEM. *de Caus. Moral.* Cap. II. & III. JOH. EBERH. SCHWELING. *Clav. Philosoph.* pag. 139.

§. XIX.

Ab *Exemplari* vero non ita magnum, quod suspicatur D. RÖTENBECCIUS (*pp*) periculum imminet, ne sic quoque influat; quoniam hoc quaternario *Causarum* numero non subjicitur, neque singulare *Causarum* genus constituit, sed est *necessaria saltem* agentis *conditio*, sive *requisitum*.

(*pp*) l. c.

§. XX.

S. XX.

Tantum denique abest, ut melior Svareziana sit  
JOH. SCHULERI (qq) Causae in communi descriptio:  
*Causa est, quae causat Causatum*; ut mendosior quoque sit &  
obscurum per aequae vel magis obscurum explicet, aut  
implicet, rejecta eo nomine a B. KILIAN. RU-  
DRAUFFIO (rr).

(qq) Exerc. Philosoph. Lib. I. Exerc. XVI. QVAEST. I.  
pag. 54. (rr) Philosoph. prim. Errant. Diatr. VII. Num.  
XXIII. pag. 79.

COROLLARIA.

I.

*Cogitatio non est formaliter ipsa cognitio, sive perceptio.*

II.

*DEUS minus recte vocatur Forma omnium rerum.*

III.

*Angelos sine haesitatione incorporeos asserimus potius, quam  
ut cum JO. CLERICO dubitemus, utrum corpore gaudeant,  
an secus.*

IV.

*Idem numero Homo est in senectute, qui fuit in juventute.*

V.

*Corpus, quod, soluta unione naturali, semel periit, idem nu-  
mero potest restitui atque reproduci.*

VI.

*Homo pars Naturae & recte, & perperam dicitur.*

TANTUM.